

ARTICULUS V.

Utrum una persona possit assumere duas humanas naturas.

III. P. q. 111. art. 7.

1. **A**d quintum sic proceditur. Videtur quod una persona non possit duas humanas naturas assumere. Natura enim communis non multiplicatur, nisi secundum pluralitatem suppositorum. Sed una persona est tantum unum suppositum, ut infra (dist. vi. quæst. 1. art. 1.) patebit. Ergo non potest in una persona esse duplex natura ejusdem speciei.

2. Item, Si Filius Dei assumeret plures humanas naturas, vocetur secundum unam naturam Jesus, & secundum aliam Petrus: unde sic. Supposito Filio Dei, supponitur Jesus: & eadem ratione, supposito Filio Dei, supponitur Petrus. Ergo supposito Jesu, supponitur Petrus: ergo hæc est vera: Jesus est Petrus. Sed impossibile est quod duorum hominum unus de alio prædicetur. Ergo Jesus, & Petrus non sunt duo homines. Sed impossibile est duas humanas naturas numero differentes esse nisi per hoc quod sunt in duobus hominibus. Ergo in Jesu, & Petro non erunt duæ humanæ naturæ, sed una tantum: ergo ad hanc positionem, quod Filius Dei duas humanas naturas assumpsit, sequitur suum contrarium, scilicet quod sit una tantum natura humana assumpta: ergo positio illa est impossibilis.

3. Præterea, Plus distat natura humana à divina quam una humana natura ab alia. Sed quamvis Dei Filius subsistat in duabus naturis, divina scilicet, & humana, non tamen duo, sed unus, & unus est. Ergo etsi subsisteret in duabus naturis humanis assumptis, non tamen duo homines dici posset: ergo nec essent duæ humanæ naturæ; & sic idem quod prius.

4. Præterea, Si Filius Dei duas humanas naturas assumpsisset, secundum quarum unam diceretur Petrus, & secundum aliam Jesus; oporteret quod de Jesu, & Petro hoc verbum, *sum, es, est*, singulariter prædicaretur: quia utrumque esset unum suppositum. Sed de Patre, & Filio prædicatur pluraliter, ut patet Joan. x. 30. *Ego, & Pater unum sumus*. Ergo major est unitas aliqua quam unitas unum personarum, quod est impossibile: ergo & positio prædicta.

5. Præterea, Negatur hæc propositio, *Filius Dei assumpsit hominem*, ne videatur personam assumpsisse. Sed sicut Filius Dei non assumpsit personam, ita Filius Dei non est duæ personæ. Ergo nullo modo potest dici, quod Filius Dei sit duo homines. Hoc autem sequitur, si duas humanas naturas assumpsit. Ergo est impossibile.

Sed contra. Quidquid potest Pater, potest Filius. Sed Pater potest aliam humanam naturam assumere ab ea quam Filius assumpsit. Ergo & Filius potest aliam assumere ab ea quam assumpsit. Ergo una persona potest plures assumere naturas.

Præterea, Maioris bonitatis, & dignitatis ostensiva est unio qua Filius Dei humanam naturam in unitate personæ assumpsit, quam illa qua mentem hominis per gratiam sibi unit. Sed hæc secunda unio quæ est per gratiam, non est Filii ad unum tantum, sed ad multos, quia sapientia in animas sanctas se tra. Isert. Sapient. vii. Cum ergo bonum sit diffu-

sivum, & communicativum, videtur quod illa unio quæ est in unitate personæ, possit esse in persona Filii ad multas humanas naturas.

Præterea, Potentia Filii per incarnationem in nullo minorata est. Sed Filius ante incarnationem poterat humanam naturam aliam ab ea quam assumpsit, assumere. Ergo & nunc potest; & sic idem quod prius.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod hoc fere ab omnibus conceditur, quod una persona divina potest plures humanas naturas assumere, & rationabiliter. Non est enim contra rationem divinæ personæ quod ipsa in pluribus naturis subsistat: alias non potuisset fieri unio divinæ & humanæ naturæ in una persona Filii. Si autem esset contra rationem personæ ut in pluribus quam in duabus naturis subsisteret, hoc non posset contingere nisi ita quod tota facultas unius personæ, quæ in pluribus naturis subsisteret per naturam secundam advenientem terminaretur, & quodammodo impleteretur, quod est impossibile: quia natura assumpta adveniens nullo modo commensurabilis est virtuti divinæ personæ, cum distet ab ea sicut finitum ab infinito. Unde sicut Deus potest semper novas creaturas condere, quia ejus potentia per creaturas non exhauritur; ita etiam Filius potest, qualibet natura assumpta, iterum aliam assumere: quia potestas assumendi per naturam assumptam non terminatur.

Ad primum ergo dicendum, quod natura ab eodem habet ut individuatur, & dividatur: unde cum principium individuationis sit materia aliquo modo sub dimensionibus terminatis considerata, ex ejusdem divisione humana natura dividitur, & multiplicatur. Unde si assumpsisset duo corpora, & duas animas, duas humanas naturas assumpsisset; non tamen sequeretur quod essent duo supposita, vel duæ hypostases, non enim materia quolibet modo divisa constituit diversitatem suppositorum, sed solum quando utrobique invenitur esse discretum, & subsistens per se: unde non potest dici, quod duæ manus sunt duæ hypostases, sed conveniunt in eadem hypostasi hominis. Ita etiam & duæ humanæ naturæ, quia non haberent esse discretum, sed unitum in una persona Filii Dei, non esset naturarum illarum divisio secundum duo supposita, sed solum per divisionem materie.

Ad secundum dicendum, quod stante prædicta positione, Petrus, & Jesus non sunt duo supposita, sed unum; & hæc est vera, *Petrus est Jesus*; & tamen Petrus, & Jesus non sunt unus homo, sed duo homines: singularitas enim, & pluralitas termini substantivi attenditur secundum unitatem, vel pluralitatem naturæ signatæ per terminum, & non secundum unitatem, vel pluralitatem suppositorum: quamvis enim Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint tria supposita, tamen propter unitatem divinæ naturæ, quam significat hoc nomen *Deus*, dicuntur unus Deus. Ita è contrario, quamvis Jesus, & Petrus essent unum suppositum, tamen propter pluralitatem naturarum assumpatarum dicerentur duo homines; sed diversitas naturarum, manente unitate suppositi, non impediret quin de se invicem prædicarentur: quia identitas suppositi sufficeret ad veritatem prædicationis.

Ad tertium dicendum, quod humana natura assumpta habet quantum ad aliquid rationem accidentis:

tis: quamvis, simpliciter loquendo, unio non sit accidentalit ut infra (dist. vi. quæst. 111. art. 2.) patebit: & ideo propter assumptionem illius naturæ, Dei Filius non potest dici duo; sicut nec Sortes potest dici duo propter humanitatem, & albedinem. Sed si Filius Dei assumeret duas humanas naturas, quamvis utraque illarum haberet rationem accidentis in comparatione ad naturam divinam, tamen neutra haberet rationem accidentis in comparatione ad alteram; & ita plures homines, & non unus hominis, creatura quædam est. Non tamen Christus potest dici duo, sicut albus, & musicus magis potest dici duo, quam homo & albus.

Ad quartum dicendum, quod sicut est in divinis personis quod propter unitatem essentia, & pluralitatem ad designationem sexus, & non ad designandum cortatem personarum, quidquid ibi prædicatur ad essentiam pertinet, prædicatur singulariter, ut cum dicitur, *Pater, & Filius sunt unus Deus*; quod verbum ad personam pertinet, pluraliter prædicatur, ut cum dicitur, *Pater, & Filius sunt personæ*: ita è contrario esset hic; quia quidquid ad naturam pertinet, prædicatur pluraliter; quod vero ad personam, singulariter. Et quamvis summa sit unitas trium personarum propter essentia simplicitatem, non est tamen inconveniens ut Pater, & Filius ad invicem non habeant aliquam unitatem quæ in creatura aliqua invenitur, scilicet personalem, cum sint vere (1) particulariter distincti. Tamen sciendum, quod hoc verbum, *Sum, es, est*, non solum pluraliter prædicatur propter pluralitatem suppositorum realiter distinctorum, sed etiam propter pluralitatem suppositorum locutionis. Dicimus enim in divinis, quod persona, & essentia sunt sic vel sic, quamvis persona, & essentia ibi nullo modo realiter differant. Multo ergo magis prædicaretur hoc verbum, *Sum, es, est*, de Jesu, & Petro pluraliter, cum differret secundum rem propter diversitatem naturarum; quamvis non sint diversa supposita.

Ad quintum dicendum, quod terminus in prædicato positus tenetur formaliter, quod non est necessarium de termino ad quem terminatur actus alicujus verbi: & ideo cum dicitur: *Dei Filius est duo homines*, importatur pluralitas formarum, seu naturarum; cum autem dicitur: *Filius Dei assumpsit hominem*, ly *hominem* non tenetur formaliter: unde magis stat pro supposito hominis quam pro natura suppositi; & ideo non est simile.

(2) EXPOSITIO TEXTUS.

Plenitudo temporis. Sciendum, quod tempus incarnationis dicitur tempus plenitudinis multis de causis. Primo propter perfectionem universi: quia tunc ad maximam completionem universum venit quando omnes creaturæ in homine ad suum principium redierunt, humana natura à Deo assumpta; sicut ponitur Ephes. 1. 10. „In dispensatione plenitudinis.“ Secundo propter abundantiam gratiæ, quæ tunc propalata est: Joan. 1. 16. „De plenitudine ejus omnes accepimus.“ Tertio propter adimplerionem legis: Matth. v. 17. „Non veni solvere legem, sed adimplere.“ Quarto propter magnitudinem ejus quod in illo tempore accidit: quia in illo tempore natus est Dominus temporis, & ita factum est aliquid majus tempore, quod tempus implevit. Quinto quia tempore illo impletum est quod Deus ab æterno prævidit, & quod ante per suos Prophetas prædixerat: Roman. 1.

In III. Sent. Tom. III.

(1) Forte personaliter. (2) Hæc expositio deest in editione Nicolai.

Factum de muliere. Contra. In symbolo dicitur: „Genitum, non factum.“

Præterea, Mulier corruptionem importat. Sed Christus de incorruptissima Virgine natus est. Ergo inconvenienter dicitur: *Factum de muliere.*

Sed dicendum ad primum, quod Filius Dei secundum divinam naturam nullo modo factus est, sed genitus; sed secundum humanam naturam aliquo modo factus est, quia humana natura quam assumpsit, creatura quædam est. Non tamen Christus potest dici proprie factus, simpliciter loquendo; sed dicitur Filius Dei factus homo.

Ad secundum dicendum, quod mulier ponitur hic ad designationem sexus, & non ad designandum cortatem personarum, quidquid ibi prædicatur ad corruptionem; sicut costa assumpta de Adam dicitur formata in mulierem, quamvis Eva tunc virgo sit facta. *Factum sub lege.* Sed contra. I. Tim. 1. 9. „Justo lex non est posita.“ Sed Christus fuit justissimus. Ergo non est factus sub lege.

Sed dicendum, quod aliquid dicitur esse sub lege tripliciter. Vel quantum ad motivum; & hoc modo sunt sub lege quasi compressi, & coacti illi qui timore pænæ quam lex infligit, præcepta legis custodiunt: & hoc modo justus non est sub lege: quia amore justitiæ operatur, etiam si nulla sit lex, ut dicitur Rom. 11. Alio modo dicitur quis sub lege esse quantum ad causam; & sic omnes in peccato nati sub lege sunt: quia propter peccatum tollendum sacramenta legis instituta sunt. Alio modo dicitur aliquis esse sub lege quantum ad observationem legis; & hoc modo, Christus factus est sub lege: quia sacramenta, & præcepta legis implevit, non necessitate, sicut alii, sed sola voluntate.

Ut eos qui sub lege erant redimeret. Contra. I. Timoth. 11. 4. „Qui vult omnes homines salvos fieri.“ & ita non solum ad redimendum Judæos, qui erant sub lege, sed etiam ad redimendum alios venit.

Sed dicendum, quod quamvis venerit ad redemptionem totius humani generis, tamen quodam speciali modo operatus est ad redemptionem filiorum Israel, quia eis personaliter prædicavit: unde Matth. xv. 24. „Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.“ & per eos verbum vite diffusum est inter gentes. Isa. xxvii. „Qui egredientur impetu à Jacob, & implebunt faciem orbis semine.“

Hæc est mulier evangelica, de qua Luc. xv. Sciendum, quod divina sapientia mulier dicitur, non propter fragilitatem, sed propter fecunditatem. Eccli. xxi. „A generationibus meis adimplemini.“

Nec eandem Trinitatem in specie columba descendisse super Jesum. Sed contra. In illa columba nihil fuit quod non toti Trinitati esset commune; cum non sit assumpta in unitatem alicujus personæ, quia eam communi operatione tota Trinitas fecit: & in ea tota Trinitas fuit, sicut in cæteris creaturis, per essentiam, præsentiam, & potentiam; & ita videtur quod ad totam Trinitatem pertineat.

Sed dicendum, quod illa columba potest considerari dupliciter. Vel in quantum est res quædam, sive fuerit animal, sive fuerit tantum similitudinem animalis habens; & sic ad totam Trinitatem pertinet, ut communis effectus; vel secundum quod est signum; & hoc modo tantum ad Spiritum Sanctum pertinet, cujus invisibilis missio per adventum columbæ designatur: & de hac missione visibili, & aliis dictum est in I. Libro (dist. xvi.)

C

DIS-